





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB.BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.



*Disputatio Ordinaria ex Jur. Nat. & Gent.*

15.

DE

# LIBERTATE STATUS REGII,

*QUAM*

*AUSPICE NUMINE,*

PRÆSIDE

## HENRICO COCCEJO,

U. J. D. & Jur. Gent. Profefs.

Publ. Ordin.

Publicæ ventilationi committet

ABRAHAMUS Grumfusz /

Alumnus ELECTORALIS.

*Ad Diem 27. Decembr.*

*hor. I. pomer.*



HEIDELBERGÆ,

*Typis* SAMUELIS AMMONII, *ACAD. Typogr.*

ANNO M DC LXXVI.





**E**merarii fortè videbimur, quòd ipsum Latium invadimus, ipsiq; Romæ jus Romanæ civitatis eripimus: nec sanè id auderemus, nisi ex eodem Latio arma suppeterent.

§. 1. Libertatem sc. Romani sibi suiq; similibus rebus popularibus tantùm tribuunt, iis, qui sub regibus vivunt, negant, indèq; perpetuò ferè libertatem & regnum invicem opponunt: uti in illo Taciti: *Urbem Romam ab initio reges habuerunt, libertatem L. Brutus instituit.* Ita Cicero Regium statum vocat *dominatum regium*, eiq; opponit popularem, & hanc solam dicit *libertatem* & *rempubl.* petitq; Brutum, *ut rep. dominatu regio liberet. lib. 1. fam. ep. 5.* & in infinitis aliis. Nec Romanis tantùm, sed aliis quoq; gentibus cordi eadem fuit opinio, quarum auctoritatem cum aliis plerisq; sequitur Grotius, longumq; eorum agmen allegat *lib. 1. c. 3. §. 12. & in not. ibid.*

§. 2. Verùm insignem hunc esse abusum, nec in regnis minùs quàm in statibus popularibus manere libertatem, his non obstantibus, ostendemus: I. Quia eadem planè est potestas imperandi & necessitas parendi, sive in statu populari sive in regio; utrobique enim iudicium ejus quod imperari debet, est penes summam potestatem, adeòq; si imperetur, utrobique æqualiter est parendum, & consequenter æqualis utrique est libertas: nam & in statu populari aliud sunt cives universi simul & collectim sumti, qui habentur quasi pro una persona publica, & imperant; aliud cives singuli seorsim sumti, qui universis parent: *l. 10. §. 4. In jus voc.* Universi autem imperare videntur, quando major pars imperat. Cujus rei



rei non ea est ratio, quam allegat Hobbes *Leviath. c. 16. in fin.* quòd negationes & assertiones invicem tollant per contradictionem, adeòq; vox quæ superest, & cui non contradicitur, videatur esse vox totius personæ: nam & unus potest pluribus contradicere, & si jus habet contradicendi, prævaleret etiam pluribus asserentibus, uti unius focii contradicentis conditio melior est omnibus asserentibus in infinitum. *l. 26. Comm. div. & Dd. ib.* Vera autem ratio est, quia aliàs nemo civium unquam cogi posset ad parendum, cùm semper posset contradicere; sed nec minor pars potest imperare majori: Jus ergo majoris partis unicum & necessarium est remedium imperandi civibus eosq; compellendi, adeòq; juris naturalis: quam consequentiam sæpius demonstravimus. Sin affirmantium & negantium æqualis sit numerus, neutra pars prævalere potest, adeòq; manet res in eodem statu; unde si de reo fortè condemnando agitur, necessariò is absolvetur, seu in pristino statu causa manebit, quo fuit ante accusationem, quod leges sequuntur. *per vulg.*

§. 3. II. Uti libertas privata in eo consistit, ut respiciatur utilitas ejus, qui est liber, nec, ut in servis, omnia adquirantur alii, tanquam domino; ita libertas publica in eo est, ut respiciatur utilitas vel felicitas publica. Atqui illa intenditur etiam in statu regio, uti Imperatores tot nummorum suorum symbolis ostendunt; ita in Galbæ nummo *SECURITAS ROMANA*: in Vespasiani, Titi, & Hadriani, *FELICITAS PUBLICA*: in Vitellii & Juliani, *SECURITAS P. ROMANI*: In Commodi, *SPES PUBLICA*: In Macrini, *SALUS PUBLICA* exhibetur: & in eo differt regius status à dominatu, quæ vox privatum jus, & privatam utilitatem domini infert.

§. 4. III. Quin imò ab ipsis his Impp. sæpius expressè asseritur nummis *LIBERTAS PUBLICA*, uti in nummis Galbæ, Nervæ, Antonini, Commodi, Heliogabali &c. unde patet, etiam pessimos Imperatores hunc imperii sui finem professos.

§. 5. IV.



§. 5. IV. Idem expressis testimoniis ipsi autores Romani, eorumq; affectu alibi confirmant. Notum illud Tullii: *Vti gubernatori cursus secundus &c. ita moderatori reip. beata civium vita proposita est, lib. 8. ad Attic. epist. 11. & lib. 5. de Republ. in fragm.* Idem ingeniosè exprimit Seneca, qui ait, *Optimum Civitatis statum sub rege justo esse; indeq; improbat in Bruto, quòd putaverit, libertatem futuram in statu populari, ubi tot domini, ut dubium sit, non an servirent, sed utri. lib. 2. de Benef. c. 20.* Hos alibi sequitur ipse Grotius, ubi contendit; *quòd liberi populi & regis, qui verè rex sit, eadem sit ratio. lib. 1. c. 3. §. 21.*

§. 6. V. Deniq; nomine *patris Patriæ* non magis Cicero superbivit in statu populari, quàm Imperatores; ita Livia dicta in nummis fuit *λευκὸς πατὴρὸς πατρίδος*. Quin & statim à Jul. Cæsare & sequentibus certatim ad eò id receptum, tantæq; dignationis habitum fuit, ut multi id modestiæ causâ recusarent. Atqui patris nomen pugnat cum dominatu & servitute, uti graphicè depingit Seneca *l. 1. de Clem. c. 14.*

§. 7. Unde ergo Romanorum illa iniquitas in statu regium? Scilicet invisum maximè fuit regium nomen tum Romanis tum antiquis Græcis, propter insignes regiæ potestatis abusus & violentias: apud hos enim nihil celebrius Hercule & Theseo, monstrorum domitoribus; quos tamen non belluarum sed Tyrannorum immanitatem compescuisse mihi fit verosimile. Romanis autem Tarquiniarum superbia ad eò intolerabilis & exosa fuit, ut pessima servitute pejor visa sit. Hinc voce quoq; iniquitatem rei æmulati sunt.

§. 8. Verum his obstare videtur, quod in ipso statu populari apud solos cives Romanos fuerit imperium; provinciæ autem tantum paruerint; unde & hos privatorum loco & solius Romæ Remp. fuisse dicitur in *l. 15. l. 15. §. 1.* Indeque differentiæ inter dominum Quiritarium, quod cives Romani tantum habebant, & bonitarium, quod reliqui, quasi hi non essent veri rerum suarum domini, sed tantum fruitionem earum haberent. Hinc ergo sequi videtur, quod cives in regio statu provincialibus æquiparentur; qui sub imperio alterius sunt. Resp. Aliud est imperium publicum, aliud libertas publica, uti expressè illa distinguuntur apud Livium lib. 37. *Græci domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur; nunc libertatem vestris tueri armis satis habent.* illud scilicet consistit in jure leges dandi, & populi tantum Romani fuit; hæc etiam provincialium, & in eo consistit, quod ad eorum quoque utilitatem & felicitatem imperium exercetur: Civitates autem privatæ quidem fuerunt respectu totius reip. cujus tantum pars sunt: respectu suorum civium autem & illæ dicuntur respublicæ, *l. 8 l. 1. §. 1. Quod cui. unio. l. 1. §. 1. Publ. & vect. l. 31. §. 1. Furt. &c.* Species illæ dominiorum effectum non differunt; sed dignitate tantum, uti hæreditas & bonorum possessio.



Kd 2246

ULB Halle  
002 800 578

3



5b.


M. S. VD 17











15

*Jur. Nat. & Gent.*

DE

# STATUTE S REGII,

AM

NUMINE,

ESIDE

## COCCEJO,

Gent. Profefs.

Ordin.

tioni committet

US Grumfuß /  
ECTORALIS.

27. Decembr.

pomer.



BERG Æ,

AMONII, *ACAD. Typogr.*

DC LXXVI.

